

Q. B. U.

DE

VITA RUSTICA,

Positiones nonnullæ,

QVAS,

Cum consensu ampliff. ordin. Philosoph. ABOENSIS,

Sub MODERAMINE

U. Cl.

DN. ALGOTHI A.
SCARIN,

Histor. & Philos. Civil. PROFESS. Reg. & Ord.

PRO GRADU,

Publicae eruditorum censuræ subjicit

AXEL. JOH. GRUNDSTROEM

Joh. Fil.

SATAG. FINL.

Die [X] Julii, CIOCCCLVIII.

Horis locoque solitis.

ABO Æ, Excud. JOH. KÆMPE, Reg. Acad, Typ

Q. B. ...
VITA
RUSTICA
Positiones nonnullae
D. A. L. GOTTI. A.
SCARIN
Lector & Philol. Civ. ... Reg. S. Ord.
PRO...
AXEL JOH. GRUNDSTROM
Dio...
ABO R. ... Reg. Acad. 179



THESIS I.

REi rusticæ sive antiquitatem, sive jucunditatem, sive utilitatem respexerimus, inter vitæ sustinendæ genera cetera principatum omnino tenet. Priscis mortalium ad sufficientiam vitæ; commoditatem puta necessitatemque, hæc ætatis degendæ ratio, vel sola in consuetudinem venit; nulli non hominum generi futura voluptati, si quibus ab initio ornati fuimus naturæ bonis acqvievissimus, & quam comprehendere potest, miserè plura non concupivisset ambitio mortalium.

THES. II.

Agriculturæ nomine venit non agri consitio sola, ejusque ad patiendum aratrum, fundi assuetudo, sed pertinet eodem omnis ex terra atque mari accessio, utpote: agrorum & silvarum cultura, pecudum pastus, & quæcunque ruri comparantur, innoxia bene beateque vivendi adminicula. Per Landtbruß Svethis rectius, quam Usterbruß exprimitur.

THES. III.

Agriculturam quamvis illiberalem artem esse existi-

4
istimarit bellatrix gens prisca Gothorum; (a) imo cum mancipiis gens rustica componi, iisdemque annumerari, hodie quoque multis in locis solet: nihilo minus tamen, quatenus fundamentum vitæ modorum ceterorum omnium audit, eodemque medio sublato, fame, siti, frigore perirent mercatores, & qui in vitæ genere alio quocunque, agere penes se constituere alii, eandem, puta agriculturam, inter artes, non quæ studium economicum absolvent modo, sed & liberales ceteras, connumeratis iis, quæ eidem provehendæ interviunt, primo & postremo loco coli debere observarique, autumamus (b).

(a) In otio quamvis annum non expectarent, Germani veteres, Romanorum more, quæ rem agrariam ceu otii speciem quandam curabant; de iisdem tamen cum nominatim perhibeat Tacitus, quod si non in venatione, hominum puta, occupati essent, tempus per ocium somno ciboque transegerint, perquam credibile est, quod in pace non ad alia patuerit eorum mens, quam quibus patuisse diximus mentes veterum Gothorum. Hostes vocare, quam terram arare olim Gotbis quis facilius persuaserit. Germanos contribules eorum in pace studiis non aliis vacasse existimaverim, quam quibus ad vulnera & caedes præpararentur, Martisque interveniente arbitrio illo, dissensiones quascunque suas terminare possent.

(b) Mercatores & foeneratores ejusdem loci homines apud veteres habebantur. Mercaturam ceu casibus & pericu-

periculis innumeris expositam, alteram directam in perniciem generis humani fugiendam esse judicarunt. Indeque factum fuit, ut si quem laudibus prosequi vellent, non alio nomine, quam ex agricolendi studio, & rusticae rei curandae solertia eundem bonum esse debere contenderint.

THES. IV.

RE rustica nullum vitæ institutum a Philosophia magis alienum esse censent plurimi. Neque præter rem id quidem, si quale philosophandi genus, sterile & infructuosum in Scholis hæcenus obtinuit, saltem attenderimus. At prout incognito illo nomine cognitio non alia venit, quam quæ solerti animadversione & usu rerum semet commendat; insuper etiam de agricultoribus constet, quod neque nisi super certa ratione & cognitis causis, h. e. theorematibus & inventis suam illi artem & scientiam fundatam habeant: hinc omnes etiam, qui ad naturæ arcana ista aciem ingenii intendunt, non qui in censum illiteratorum deprimantur, sed philosophorum augusto nomine veniant, dignissimos esse censeo.

THES. V.

AD *Ἐπιστολογίαν* spectantia plurima res rustica comprehendit; quin neque meteorologiæ aut Astrologiæ expertus est scientia agricolarum. Cum Philosophia, quamvis ad humanarum rerum contentum magis, quam earundem acquirendarum scientiam manuducere illam debere multi existiment,

ment, non parum commercij tamen habere sunt censendi agricolæ. Ut affectus suos in potestate habeat homo, eoque suo arbitratu moderetur, docet, qui de moribus præcipit Philosophus, Arvis imperat agricola & terram dicto factoque suo obsequentem præstat. Quid? quod præstat vita rustica vitæ urbanæ in non paucis, nempe cum inibi contemplationi suæ vacans Philosophus, non semper dicto audientes cives invenit, imo malam pro meritis gratiam sæpe refert; terra nunquam contumax aut ingrata existit. Certe non illa minus quam philosophia, tranquillitatem verius refractariam affectuum turbam largitur.

THES. VI.

Veteribus Romanis vita rustica, utpote a fastu & luxu, qui in urbibus regnat, remotior, ita arrisit, ut ceteris omnibus vitæ generibus eam omnino præferrent. Hinc etiam cum viri in republica præclari, aliquando vacare vellent a negotiis publicis, ad prædia sua suburbana mox confugiebant, ut in secessibus, sensus plus satis ante defatigatos, colligere, agitationeque corporum variâ ad priorem mentis integritatem iterato redire possent. Imo constat de illis etiam, quod non ob aliam rationem magis vitam rusticam secuti fuerint, quam ut secure magis colerent studia literarum, consiliaque patriæ saluti promovendæ inservientia minus impeditè inire & capere possent (a).

(a) *Inter eos jure meritoque retulerimus HELVIDIUM, AGRICOLAM Taciti socerum, ceterosque, qui metu temporum, nomen ingens paresq; virtutes, Plinio in epistolis perhibente, secessu texerunt, confersis epist. IX, 13. ejus & quidem praecipue epistol. IX, Lib. I. ubi uxor, secessus sui dulce otium & negotio omni pulchrum magis honestumque blande invocat auctor; quippe in quo, apud eundem sinistrae rumoribus non carperetur quisquam, nulla spe, nullo timore ipse sollicitaretur, sed se cum ipso & cum libellis loqui sibi tantum liceret. Plinio, si placet, adjuuge Tacitum vitae Agricolae initio,*

THES. VII.

Optimum esse populum, qui agriculturam exercet, philosophus dixit. Urbe in ipsa, rusticae tribus cunctis in municipiis degentibus civibus, absolute loquendo, majoris semper habitae fuerunt. Causa erat feriata & perinde corrupta magis urbicorum vita, ea quae, ut notae & contemptu carere non potuerit, effecit; cum contra rustica vita unice intenta in agricolationem & pecorum pastum, nullis adiveta nefandis spectaculis, ad non aliam magis quam aequi & honesti considerationem cogitationes suas sustulerit, ad ea modo quae publice & privatim salutaria essent, otii sui tranquillitatem converterit.

THES. VIII.

Agricultura tantae olim & hodie aestimationis est, ut privilegiis & constitutionibus variis, securitati & fortunae agricolarum Legislatores prospexerint.

8
Ipexerint. Prostant de privilegio immunitatis illorum in codice Justinianæo; extant de re eadem constitutiones imperii recentiores etiam, quibus qui circa rusticitatem occupati essent, quacunqve regionis parte securi renunciatur. Imo ut minimum bello relinqueretur, de relinqvendis in securo statu iis, qui terram colerent, non veteres olim modo convenerunt, sed hodie neqve male habent belligerantes, si de concordia incolumi servanda agricolæ utrinqve convenient finitimi. In ejusmodi fœdus, puta arcendæ muzuæ injuriæ, id quod hålla Bonde frid dicebatur, Gothungos, Scanos, cum Smolandia nostrate vicina consensisse, utriusqve gentis non dissentiente Principe, confer sis dissert. de *GOTHUNGIA* auctorem celeberr. p. 34. Amazoniæ nostræ, puta Cajaniæ cum vicinis Moschuæ Lappis & Carelis eadem est ratio.

THES. IX.

QVæ ad vitæ sufficientiam spectant satis abunde & larga manu, summum & benignissimum Numen in fœcundissimo deposuit terræ gremio; Ita ut ad bene commodeqve vivendum nil amplius requiratur, quam diligentia & dexteritas quædam ea quæ ibi sunt recondita, depromendi & in veros usus convertendi. Recte itaqve Cicero: Omnium rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine, nihil libero dignius. Libr. I. de Officiis C. XLII. p. 152. 153,

THES. X.

Licet magnopere non sit delicata vita agricolarum, magnum ferculorum apparatus, menſasque ſecundas, quæ eminentioris ſortis hominum eſſe ſolent, non amet: tamen honeſtæ reſectioni virium, & ſalubritatis conſervationi nunquam non ſufficit vitæ modus ille. certe ab ocaſione non parum diſtat, quâ firmitas roborque corporis debilitetur, fenestraque cupiditatibus, quibus conſcientiæ macula adſpergi poſſit, aperiatur. Eſculenta enim non niſi ſimplicia & inſocua ſufficit, ſubminiſtrat; imo talia, quæ valetudini & ſanitati conſervandæ ſunt aptiſſima; ita ut ex illorum uſu, ſi cetera recte ſeſe habeant, periculi nil omnino metuendum ſit.

THES. XI.

Uſus artium mechanicarum, quamvis ſua laude defraudandus nullo modo ſit, his tamen omnibus agricultura dignior atque præſtantior eſt cenſenda. Eſt enim illa, uti jam antea diximus, ſola ſibi ſufficientiſſima, eaque, quibus vita tranſigitur, ad frugalitatem omnia fere in promptu habet; certe opificiorum, quæ arte mechanica fabricari ſolent, non niſi exiguam partem in uſus ſuos accommodare neceſſum habet. Artes autem mechanicæ, quocunque nomine veniant, e. g. manufacturæ & generis cujuſque fabricæ, fulcrum & ſuſtentionem ſuam agriculturæ omnem omnino debent, uti in antecedentibus a nobis obſervatum fuit.

B

THES. XII.

THES. XII.

Quod excogitata & in usum introducta fuerint multae artes mechanicæ, id frugalitatis fastidio, hominumque, una cum succrescente ævo, magis magisque accrescenti vanitati, ad non alia, quam quæ frangunt & refrigerant animum, adspiranti, maximam partem adscribendum esse existimamus.

THES. XIII.

Agriculturæ studium perficere licet omnibus hominis ambiverit humana prudentia & experientia: ad illud fastigium tamen pluribus locis, certe non sub cælo arctoo nostro emergere potuisse constat, ut non magis adhuc in altum provehi optet atque desideret; illi modo, quorum interest, adhibere velent maiorem industriam, & experimentis diversimode institutis probatisque, quamnam exercendæ agriculturæ ratio non incerta, certe commodissima fuerit, alios instruere & condocere vellent. Quod verò inter *pie desiderata*, prudentiæ civilis *caput* non ultimum hocce relatum fuerit hactenus, deficienti partim industriæ; maximam vero partem *ignaviæ* rucolarum adscribendum est; quibus scenerari & perpotare & id genus alia facere magis placet quam frugum fertile, consitionumque proventu vario læcundum rus suum efficere. Quorum referre si quis velit, potest etiam, quod terræ cultum ceu plebejum & sordidum, certe a sapientis vita procul remotum, ad hæc usque tempora

EE

pora, qui aliis plus se sapere existimant, clam voce,
palam vero facto ipso consenserint.

THES. XIV.

O Economos in gente nostra dari plures, eosdem-
que incredibili cum successu & artis perfectio-
ne operi insistere, locorum & prædiorum varie &
uberrimè excultorum in diversis regionibus mani-
festa docet experientia; sed dolendum in illa non
magna copia eorum, qui artem callent, plus quam
plebejâ invidia usque adeo obsideri nonnullorum
animos, ut quæ ad amplificandum publicum insti-
tutum pertineant, apud alios profiteri nullo modo
velint. *cont. thes 13.*

THES. XV.

Nec parum officit rei rusticæ incrementis absur-
dum reverentiæ genus quoddam; ut puta eo-
rum, qui institutis majorum tenaciter adeo addi-
cti sunt, ut licet convicti animis confiteri neces-
sum habeant, consilia aliorum de re emendanda,
meruisse, quæ pristinis institutis præferantur, inco-
lunitatem civium suorum exitio devovere malint
tamen, quam suæ cedere invidiæ obstinationique.

THES. XVI.

Ardua quævis & quæ majoris fuerint momenti,
ruri, non sine sperato successu perfici posse om-
nis affirmabit, qui ad auctus & accessiones, quas
agendi sciens mechanismus in urbes invexit, attende-
re, parvisq; non ineptè magna componere voluerit.
Veteres ab exercendo opere naturæ æmulo pudore

nullo deterritos fuisse, cognomina illustrium Romanorum, a rustico & domestico regno derivata, & quæ hodie quoque in usu sunt, gentilitia nomina illustrium familiarum Svethicarum, liquido testantur, conser sis differat. Aboéns, de *Scandian. aboriginum præcip. vivendi modis*, pag. 45.

THES. XVII.

DE privilegio *securitatis*, quo PRINCIPES bello verius se invicem inflammati rursi secessum prosequi solent, diximus. Sed non urgente illa modo tempestate in *Saturni Latio* securos agere agricolas volvere suos, sed insuper, civilium interdicto legum, effecere etiam, ne inter colligendum fruges & agros semine conferendum, de oneribus & vectigalibus reipublicæ exsolvendis rusticæ colonix appellentur. Privatim, ne rei naturalis aut artificialis perverso usu quicquam detrimenti capiat familia, domini solertes in tempore providere solent. Ne publicæ œconomix, præter meritum, damni quid accidat, curare PRINCIPIS est, adeoque sicut studiose laborare solent ne venationum promiscua indulgentiâ congregationes & multiplicationes innoxix ferarum vel distrahantur vel aboleantur: Ita ne quæ rei rusticæ incrementis vel præcipuè insudant, operis aratoribus, ut puta: pastoribus, piscatoribus, lanificis & linteonibus, rei provehendæ nervi præposterè intercidantur, si quæ res alia, ad rempublicam pertinet.

THES. XVIII.

Salus reipublicæ quamvis sine censu tributisque, ea

ea quæ præstare civium singuli debent, perinde difficulter efflorescere potest, atque sine alimentis corpora naturalia excretcere solent: verum tamen nisi onerum, juxtaque virium æqua proportio observata fuerit, ex non longo intervallo res eo delabatur, ut oneri succumbant cives & perdat omnia simul ipsa civitas. Fuere olim, nec desunt hodie, qui ingeniosissime excogitare sciunt plurimos titulos exasperandarum censurationum, bonorumque ad sanguinem usque tenuissimæ sorti emulgenderum. Sed quam perniciosissimè illa comparata sit ratio & solertia inventi, facile quisque videt, neque enim magis noxium aliud datur sufflumen agriculturæ. Optandum igitur quæ ad rem œconomicam provehendam nitu & ingenio hodie laudabili ferantur, perinde sedulo curare velint, ut qui gravissimo opere perfunguntur, eorum, sine probro numerus non augeatur solum; sed auctus idem, præ nimia defatigatione arma neque projiciat; & præclusa domi spe emergendi, non opinato malo, ad externos se recipiat. Nostratum multos, pisto sub prætextu, exilio semet multasse; & quemadmodum deferendæ stationis pristinæ auctores ipsi sibi fuere modo; ita ad benigniorem sub alieno imperio servitutem subeundam, certe sperandam, conterraneorum abis exstimulatores evasisse, res notissimo notior est.

THESE XIX.

Rusticæ rei studium apud illos neque obsolevisse, qui-

quibus vilia cenferi solent artium & literarum cetera; imò PRINCIPES, quorum ad tyrannidem & impotentem dominationem spectant ceteri actus imperii, disciplinam agri colendi auspicio fovisse suo, & quantum fieri potuit, in majus strenuè prolatum ivisse eandem, terribilis sine lege Sinensium *imperator XI HOAM TI* suo fatis exemplo evictum ivit, qui cum consilium inivisset abolendi speculationum gentis suae inania multa, scripta quæ instaurandæ teluris & corporis humani œconomix interservirent, abs fati sinisteritate memorata sola prope exempta esse voluit.

THES. XX.

IN republica, quæ vult audire bene ordinata, res rustica invalescere debet non illa solum, quæ necessitati incolarum sufficit: verum spectat eodem operum & negotiorum illa procuratio quoque, quibus ad usum & delectationem exteri perinde afficiuntur. Hac enim ratione promoventur optimè gentium commercia, subtiliterq; enucleata quæcunq; ad quæstum & compendium diversimode spectantia. Quod si agrorum vel non magnus modus sit, vel loci squalida adeo scopulosaque conditio, ut præterquã civibus venalia proscribi nequeant Cerealia bona, loci genio sterilitatque eo usque obviam saltem eundem, ut non multa ab exteris annonæ vis, eademque caro pretio redimatur. Quod si verò ad fructus ferendos agri constitutio & pronitas adsit, ad illam non degeneris, quamvis inculti soli
ratio-

rationem magis, quam cetera provehendæ publicæ opulentia instrumenta, quorum interest, respicere oportet. nempe cum pulveris atque æstus obnoxia non minus illa sint, rei rusticæ verò adverlus temporum injurias vicissitudinesque semper in tuto magis gloria constituta esse soleat.

THEs. XXI.

FVincit experientia, & contradictione in speciem negari nulla potest, illam regionatim orbis partibus glebæ bonitatem fertilitatemque concessam esse, quâ sibi sufficiens, quamvis ad excessum non omnibus locis, felicitas humana obtineri possit. Ipsi modo bona non ignoraremus nostra, neque curæ genus durû & arduum statim derelictui haberemus, sed ad ea, quæ rusticæ rei suffocandæ aliarumque rerum incremento nata sunt obstacula removenda, strenuè nosmet, idque in tempore accingere vellemus (a).

(a) *In Germaniâ ad Christiana tempora & CAROLI magni imperium usque, in speluncis foveisque, casisque culmo contactis incolæ victitabant; gentium, quæ Oceano glaciali propiores sunt, hodie neque immutato more. Idem IMPERATOR non solers & prudens oconomus minus quam insignis bellator, Herciniæ silvæ ceterisque nemorum densis & incultis clade illata memorabili, ad agriculturam & pastiones omne solum fertile esse, & quæ illo tempore incultis, qui tum viderent, infrugifera viderentur, pro vectâ magis magisque industriâ, cultissima evadere posse, suo sub exemplo posteros præmonuit. Sed de qua rursus Germanici conditione prisca & hodierna agere, in sequentibus magis apta semet offeret occasio.* *Thef.*

Inter illa ; quæ incremento agriculturæ remoram injiciunt & obſiſtunt , natam abdomini luxuriam , ridiculam exterarum rerum æſtimationem , indigenarumque rerum atque divitiarum contemptum refer. Habuit hoc vitium fixas adeo ſedes apud veteres Romanos , ut lege ſiſti nulla potuerit. Satiſ putavit *TIBERIUS* verſus illum temporis vaſtorem nil tentare , quam irriti conatus ludibrium tubire. Quam verò apud noſtrates , non ditēs familias ſolum , eaſdemque claritudine inſignes ſcabies iſta occupaverit , ſed & humili popello ſenſum & rationem prope eripuerit , noſtrum quis ignorat ? Cum profundendo bona ſua , metas frugalitatis excederent Romani , ad egeſtatem privatim primum , mox rapinam publici deventum fuit. Noſtro ævo , quo herbis & oleribus ab oriente accitis , iisdemque non niſi murice epotis , menſas ſecundas ſuas inſtruere ambiunt non patricii & medioximæ conditionis viri ſolum , ſed ſellulariorū plebs ipſa quoque , majorum oeconomiam ſeriis cultibus ante celebratam ſolum migraffe , quis non agnoſcit ? Ad famem propellendam , ad ſtruendas & inſtaurandas regni opes , cum ab egeſtate domi forisque mala quæcunque gliſcere incipiunt , utrum cum agriculture ſtrenuè exercita paria facere lautitiæ conviviorum iſtæ ſint cenſendæ , aliorum magis quam noſtrum iudicium eſto.

THES. XXIII.

Hollandia & magnam partem Britannia, egregio hodie exemplo sunt, quam mansvescere maligna sterilitas & inimicum frugibus solum, accedente non ignava operâ, in fœcundissimam ubertatem converti, commutariqve possit. (a) Docent sub exemplo Batavorum annales politici, in quam emerferit potentiam reipublica eorum per piscaturam in mari occidentali, juxta littora Anglicana, certe magno usu suo prolatam. Id n: pro comperto quisque habet, quod postquam incolumitatis propagandæ modus iste invaluit, non multa turba proletariorum hominum, unde vitam sustentet, in promptu modo habeat; non quæ remige & vento cieri militia sivevit, omnibus horis in procinctu adsit solum: verum factum & transactum inde etiam, ut stupendæ opes, nervo & firmamento reipublicæ eorum, quotannis conciantur, congerantur.

(a) *De agro in illa gente compascuo, quo ad miraculum usque Frisia & Omlandia luxuriat, in orbe imperante suo Funccius testatur, quod ob graminis lætioris proventum, maximus inibi, non suæ genti solum, sed & aliarum usui voluptatiqve armentorum numerus ubiqve obviam sese prodat. Præ ceteris verò vaccarum non incredibilem modo copiam istis locis inveniri ait, sed & majorem, quam alibi pecoris illius fœcunditatem esse; à quâ miranda lactis abundantia proveniat, & agricolentium mensæ concretis lacteo liquore epulis, bis, si non sæpius, instruantur quotidie.*

C

THES.

Licet ubiqve terrarum pro certissimo vitæ sustinendæ modo agricultura habeatur, constat tamen pro diverso cæli soliqve genio, proferendi operis diversam rationem, aliis atqve aliis locis obtinere solere. Hortos instruere (a), & latissimis agrorum spatiis (b) exuberare alii student. De *Scythiis* & *Fennis*, eorumqve posteris *Tataris* & *Laponibus* constat, quod vitæ modo multo diversissimo ad vitæ sufficientiam incedere, illis sit solemne. Nempe cum urbes & opulentos agros, ceu servitutis munimenta despiciant, non nisi lacticiinis, nec non piscatu venatuqve in silvis suis solitudinibusqve illi victitant, quin, in tentoriis insuper etiam vivunt, non invicem junctis, sed longiore intervallo inter se discretis, ne quæ de finibus ortæ tragediæ vivendi securitatem eorum turbent. Imo ne de peculatu reos eosdem dii hominesve increpent, *pecuariani*, tenuioris vitæ industriæqve suæ peculium unicum, certe palmarium & præcipuum esse voluerunt. Quæ verò arte & prudentia cervos jugales & silvestris ingenii bifulca animalia cetera cicurent, & transvectionibus advesfaciant, itinerarii scriptores, documento aliis nationibus, consuli merentur.

(a) *Arborum & hortorum culturae CAROLUM V. Imperatorem triumphales manus suas, abdicato imperio, accommodasse, Strada de bello Belgico, testis est.*

(b) *Vitam rusticam nemini dedecorofam esse, neque iis solum,*

lum, qui pabulo glandinario vivunt, sed nobilibus & purpuratis in republ. viris perinde convenire, triumphales agricolae apud Romanos plurimi, iidemque ab aratro dictatores testes sunt luculentissimi. conferas Thef. VI. & dissertat. Upsaliae habitam de Rusticatione veterum Romanorum.

THES. XXV.

Abs vita rusticâ ejusque dextra curatione salus publica omnino dependet. Illa ritè recteque administrata pro ut capiti & membris juxta consulit, ita ad addiscendum quidquid ad illam artem pertinet, non cives suam modo industriam conferre & invicem communicare debent, sed oportet omnes etiam, qui cum imperio sunt, in illa parte reipublicæ provehenda curas suas seriò, non ociosè defigere. Et quemadmodum non facile quis dixerit, rem rusticam ante multo attigisse perfectionis suæ culmen, ut incrementa in futurum majora non efflagitet: Ita experimentorum, quibus instituti ratio illa provehenda est, sumtus, PRINCIPEM præstare oportet; modo, quo in Scholis ingenia alumnorum probantur, saltem probare conveniens est (A). Quin neque de successu studii & periculi illius dubitandum foret, si cura pulcherrima illorum tractationi modò committeretur, qui de agris dijudicandi diuturnam experientiam habent, & perinde consilium, quo agri non magno modo ubertas sua, foecunditasque frumento terræ mandato conciliari queat, inire & expedire nullo negotio possunt.

Plurima tamen, priusquam hæc commodè fieri & cum
 luccellu sperato transigi possunt, removenda esse ob-
 stacula non negavero; quorum maximum esse pu-
 to, quod antiquo suo genuinoque pretio hæctenus
 non æstimetur agricultura, sed è contrario multi,
 præsertim in republica digniores illiberalem artem
 & servorum miserrimo cuique committendam esse
 censeant (b), quam veterum optimo cuique tra-
 ctare honestissimum fuisse, exemplis evictum mo-
 do dedimus. Atque inde in gente rustica nostrate
 illam opinionem natam esse, non immeritò quis di-
 xerit, quod quibus nulla, præterquam ex agris vitæ
 sustinendæ ratio suppetat, præ ceteris illos ad sta-
 tionem, quâ vilior nulla, puta servitutem infimam
 ab irato Jove damnatos esse; aliosque, quos supra
 se eminere videt, eosdem modo felices & semper
 augustos suspiciat; licet natura ad nullius magnæ rei,
 præterquam diei & opportunitatis observantiam ad-
 stringens rusticum, illecebrosam, & si quæ alia,
 universi repræsentativam vitæ conditionem ei-
 dem concesserit. Neque n: ad bene beateque vi-
 vendum eidem quidquam superest, quod eundem
 sollicitum habeat, quam ut ad *malitorem* tantorum
 operum aciem mentis & devotionis suæ intendat,
 instrumenta cerealia sua rectè applicet, inque illa
 omnimoda vacatione omnis de cetero molestiæ,
 opus suum perficere & sciat & velit.

(a) *Oeconomica experimenta, quisquis suis ipsè sumptibus o-*
mnia peragit, metuendum habet ne sibi accidat, quod al-

cumistis crebro usu venire solet, ut nocumento ingenti suo, aliisque, ad non imitandum, documento saltem, argentum suum prodigant & decoquant.

(b) Cum ad pigritiam & prodigiam in imperio Rom. omnia propendere inciperent, qui agricolationis pernoscedae avidi essent cives, rariores nascebantur. Increpat morem suae aetatis eundem Columella, cum locupletibus sed negotii imprudentibus heris suae aevi in os dicit quod de villico comparando vigoris expectati vix sollicitus quicquam inventus fuerit. E turba pedisseporum & lecticariorum, non qui viridi aetate labores sufferrent, sed defetissimos aetate & viribus, in agros de egari idem exprobrat. Aulicae vitae sectatoribus servis, iisdemque minus frugi, certe minus aetate integris hodie quoque ministeria ruris colendi designari solere, rerum penes nosmet usus neque dissentit.

THES. XXVI.

Multi quidem multa rei rusticae perficiendae inventa juris publici fecerunt, sed quae tantum abest indubitatis fundamentis nitantur omnia, ut inter lepida vigilantis somnia, eorum alia non pauci referenda censeant. Scilicet, quae in ceteris artibus magnifice selessefferunt vana & inutilia multa (a), eadem agri colendi prudentiae se lubinde miscere, ejusque, mirum in modum, confundere scientiam, plus & aetas non obscure docent; plerumque non alio eventu, quam ut, quae spectatae fidei fuerint experimenta, cum praetextis ludicris & inanibus eandem sortem experiantur, & a rusticis,

qui.

quibus jam ante irreligiosum censetur dilcedere
 à moribus majorum suorum, una cum nugatoriis
 sibilo & supercilio eodem explodantur.

(a) *Artes & studia, publicis & privatis scholis, in non
 aliam, quam futuræ oblivionis frugem, passim & ubi-
 que inculcari, opusculo de impedimentis rei rusticæ
 summa arte perfectò nuperrimè evictum dedit rei agri-
 mensoriarie director hodie experientissimus, cum studiosam
 juventutem curis & occupationibus, quæ foris speciosæ,
 introrsum vanæ & inutiles sunt, distineri, ad rem
 appositè observat. conf. p. 13. seq. item p. 99. ubi de rei
 literariæ transfusione, ejusdemque ad non alium quam
 publici usum, conformatione non sine emphasi differit:*
 Läsnings werket / inquit, måste först och främst
 wärdas / så at icke alt förnycken ungdom syhellsåta-
 tes med wetenstaper / som äro utwärtas *FAUNA*
 och inwärtas *MUSICA*; utan helte ledas til så-
 dan boke=slögd / som är lämpelig til samhällets
 behof / då man will öfwerlägga om richtige grun-
 der til näringar / rörelser och hushåldning / samt i
 rättet ordning och godt sammanhang främja des-
 ras framgång och verkställighet.

THESES XXVII.

Quibus rei rusticæ studium sordet; utpote ad
 cujus cognitionem adeo non multo acumine
 quis indigeat: illis in genere haud perplexè re-
 sponderi potest, non solum quod in unoquoque
 vitæ genere scientiæ & experientiæ perfectio tanta
 requiratur, quantæ ad ulum instruendæ vix inte-
 gra

gra hominis ætas sufficiat: verum de agri colendi disciplina illud *in specie* etiam quisque tenere debeat, quod quæ ad illam scienter & peritè tractandam requiruntur, *DEUS* non nisi per secula distribuat & posteriorem diem omnino magistrum prioris esse voluerit. Cui verò, præter vestigia majorum utrumque antiquitus receptum, nulla ad manus alia adsit rusticæ rei experientia, eidem periti bonique agricolæ nomen vix tribuendum esse existimo; sequutus philosophi & sine æmulo agricolæ Romani iudicium, cuius de se ipso iudicium superest, quod *ultimus ante dies cum occuparet, quam ruris disciplinam universam cognoscat.* quamobrem illam procul faceffere iubet vulgarem existimationem, quod res rustica sordidum opus sit, & negotium, quod acumine nullo, nullo præceptoris magisterio, nulla domini curiositate scrutini opus habeat. (a)

(a) *Conferfis* Christ. Wolfii de admiranda frumenti multiplicatione, opusculum. Item thes. seq. penult.

IHES. XXVIII.

REi rusticæ cum admoveri vulgo fere non alii soleant, quam qui duro vitæ generi magis sunt adveri: inde de soli effæti senio & opera rustica insuperabilibus obstructa difficultatibus assiduo gentem istam conqueri, nostrum quis est qui non noverit (a). Interim cum mille septingentis abhinc annis querimonias rusticas illas repulerint agricolationis artifices consultissimi; iidemque

que ex non fiderum cursu solum, sed pecudum & volatilium etiam, & quæ in agris crescunt, plantarum genere omni, eundem, quem olim motum, eandem vegetationem & ordinem etiamnum se exerere, multis probatum ivere: non abs senio defatigationeve terræ aliqua, sed ab ignavia, & quæ illius comes esse solet, imperitiæ vicio, aliis atque aliis locis arva minus benignè respondere, in aprico res posita est. Isti inveterato diu morbo, maloque tribuendum, quod seculis antiquis cognita, deperditis hodie multa annumerentur. Et si quid rectè video, nostræ ætati convicium dicere posteri non cessabunt, si quæ provehendæ rei rusticæ instrumenta modosque, quos à parentibus didicerimus, eorum, quantum in nobis, cognitioni nos quoque subduxerimus. Nimirum *optat ephippia bos piger*. & quoniam in urbibus suam omnium optimè exædificari posse ignaviam, qui pridem in coloniis fuere, reputant; Inde aptissima rei rusticæ gerendæ virorum robora ad urbes se recipere, inibi foveri, inque non levem agriculturæ fraudem, satellitiis ministeriisque, quæ molli brachio peraguntur, in dies applicari, non longè videmus. Inde verò magis quam degenerantis naturæ vicio, fieri quis dubitat, quod quæ pecorum pastui officiant, tot incæduæ & intonsæ silvæ succrescant, neque nisi alta ferarum stabula, ubi frugum fertiles agri pridem effloruere, primum pecuariæ, mox universæ rei rusticæ detrimento, penes nos hodie regnent & luxurient (b).

(a) Confer. §. 25.

(b) Civium, qui trans mare sunt, felicitati Loccenius applaudit, quod productiore solis lumine, ejusdemque per aestatem magis intenso calore, patrium solum ibi faenore quam alibi, largius semina sibi credita reddat; atque inde tot plantaria & viridaria diversis fructibus usque, adeo penes Svecos luxuriare ait, ut peregrini huc venientes & cum superioribus temporibus praesentia conferentes sibi ferme persvadeant, nunc esse diversum à priore & amicus, quam ante, solum atque clima. Crebrae fundi locique exercitationi, in magis frugiferum, hodierni ingenii mutationem adscribit. Verum in hanc Svethiae partem transcendere virum integerrimum si fata voluissent, diversam multo rei agrariae conditionem heic loci invenisset. Licet enim à tributo pendendo plurimum annorum remissio coloniae novellae concessa fuerit; quamvis intercedat etiam luculenta cautio, non omnino fore, ut publico onerosa sit agri possessio; quin, salario constituto demum gnavi aratores invitentur ad rem strenue gerendam; nescio qui fiat tamen, ut novi agri non nisi rarior consitio appareat; quae verò emortua & desuetudine effoeta facta sunt arva, continuatis hinc pluribus conspiciantur.

THES. XXIX.

Agricolæ in re familiari sua curanda non dissoluti neque negligentes, si quam ab opaca vetustate umbram & colorem ducant, non nomine illo despiciatui magis sunt habendi, quam Cecropiae aves, quibus non fidele & laboriosum, neque

D

sim-

simplex & apertum magis aliud natura dedit. Salutare thymo saporem, in usum humanum perficiunt animalcula illa. Inter Cerealia instrumenta, rei universæ conservationi perinde intenti sunt agricolæ. Igitur quam apibus non magis illis insulandum. Est, non nego ad affectationem & fraudem faciendam vitæ ratio illorum minus accommodata. quod verò titulo illo solo ridicula sit censenda aut minoris æstimanda quam illorum, qui in urbibus degunt, quorum ad fucum magis læpè compositi mores sunt, nisi qui ridiculus ipse fiet, non alius quisquam senserit.

THES. XXX.

PEcuniæ quærendæ rationem magis illam, quæ ab arborum, agrorum atque animalium fœtura conficitur, quam aliunde sectandam esse, *fœneris* & *usuræ* nomen Græcum, quod à pariendo derivatur, ad rei perversionem appositè exprimit. Illud ad augendam rem familiarem compendium ab astu minus, à virtute verò prope protectum, ceteris ditescendi modis ingenuum & honestum magis esse *Aristoteles* existimat; non dissentiente olim Turcarum IMPERATORE (a), neque terrarum, qui hodie sunt, DOMINIS CHRISTIANIS, qui quod immediatè benedictionis Divinæ sit lucrum omne ex gremio terræ natum atque relatum, inde etiam aulæ cibariorum eam utrinque rationem esse voluerunt, ut ex certis prædiis sic dictis mensalibus, non item gravationibus civium viritim exactis colligantur, conficiantur (b).

(a) Leonicensus *Turcicae histor. lib. 1. Cap. 20.*

(b) *A pastione & re rustica vivere idem esse atque sine crimine vivere, Columella ait. Cujus si effati rationem propius quis intueri velit, convenire non incommode potest Rodericum Zamorae in Hispania episcopum, qui in specul. statuum l. 21. agro frugum fertili, pecorum & piscationum non infœcundo tale nectit encomium: In ceteris, inquit, mortalis vitæ hujus occupationibus vacant homines artium culturæ; in hoc naturæ. In ceteris vacant sagacitati, in hoc sanctæ simplicitati. In aliis superfluitati; in hoc necessitati. In ceteris vacant ornatui; in hoc victus & virtutis cultui. In ceteris vacant homines paucis aut multis; in hoc omnibus,*

THESES. XXXI.

PRæpostero œconomiz studio passim & ubique fertilia terrarum inculta jacere, & quæ pridem culti soli jugera multa, eadem hodie non nisi sentes & spissas circum circa vepres ostentare modo diximus. *Plato* verò cum in dominio rusticorum esse voluerit omnem agricolationem, id quod negasse iterum *Aristoteles* videri vult, quid de rei agrariæ hodierna institutione, qua alibi in mancipio potentiorum; iterum aliis in locis censurici, h. e. ruris sui domini ipsi sunt agricolæ, sit estimandum, & cujusnam ad rempublicam momenti plus conferre sit censenda instituti ratio, locus est difficilioris indaginis, quo super, quot dantur diversæ civitates, tot ferè sententiarum divortiis

quoque disceptari solet. Morem, quem penes semet usus & experientia diu consecravit, modo, quo configurationem sui imperii, civium quisque mirifice laudare solet. Hac nostra gente, compascuo & ad messes ingenioso rure, liberè adeo rustici habitant, ut ubi ordini eorum, postquam à Batavis discesserimus, honorificentius alibi sit prospectum, vix quisquam inventurus sit. Illa verò *Cererem* benignam magis eliciat, an verò plus confundat publica disciplina, qui rei Cameralis summæ præfunt, me ipso certiora docebunt. Id credible est, quod quamdiu agri colendi sors ad Dominum, cujuscunque loci ille fuerit, proprietario jure pertineat, tam diu effœta pagorum villarumque nomina in rationibus publicis paginam vix aliquam impletura sint. Contra verò cum inter colonias militares aliosve non directi domini possessores agri dispartuntur (a) justam exercendæ glebæ industriam mox cessare, reapse edocemur ipsi; œconomiaq; publicæ progressum identidem, hostilem in modum evertere illum modum, in non modico Romani status vitio, Hannibalem quoque præspeculatum esse legimus.

(a) Confer clariss. viri J. FAGGOTII ante modo citatum opusculum om Landbrukets uphielpande / pag. 32. seq.

THES. XXXII.

Belli gerendæ disciplinæ cum usu suo civitatis. que maximo quisque præesse vult, ad obeundum dextrè negotium suum, non excellens ingenium

nium & sufficientē animi vigori corporis compagem modo adferre debet, sed oportet eundem in omni genere belli quoque exercitatissimum esse. Nulla ad disciplinam militarem res pertinens cognitionem & experientiam ejus fugere debet. Rusticationis perinde diffusa, eademque seriis & severis rebus constans est materia; ita ut qui universæ illius consultus censerit vult, eundem quoque pluribus artibus formatum, pluribus ad rem bene gerendam partibus animatum esse conveniat. Oportet non vigore animi & robore nervorum esse modo spectatum; non ingenii & culturæ agrorum experientissimum esse solum: sed ad summam artis suæ perfectionem, usum puta disciplinamque, requiritur insuper, ut qua ratione horticultura, quā alteram *succidiam* veteres appellavere, non agrè procedat, in numerato habeat; quomodo ad usum & voluptatem vacuus ager suis arboretis efflorescat; in iisdem pecorum greges in maximos auctus semet diffundant, & demum qua ratione Iquamigerum pecus stagnis & piscinis excipi, condiri & a putredine conservari queat, (a) manu prope aslvetum esse conveniat. Ita ut qui dixerit in eligendo industrio & frugi villico oculos esse circumferendos, quem potissimum eligat, ille non terupulosa aut summissima ridente sed verissimā fronte judicasse sit censendus.

(a) De Hollandis, Tritonum nostrī aevi gente æmula G. XXIII. diximus, quod ex balcum & grandiorum pisci-

um capturâ ad vicinas gentes multa, majora verò ad rem publicam eorum emolumenta veniant. Imo sunt, qui de unius anni piscatione horum non ambigendum censent, quod plus æris illa civitati importet, quam ex India argentum, integro quadriennio conscicere Hispania possit. Plagae arctoae ad exercendam piscaturam situs undecunque pronus & proclivis est. In Norvagia, qui littoralia inhabitant ruricolae, cum frigide illi neque urgeant, quae propagando vitae modo isti inserviunt, inde diversorum generum immanem piscium vim, privilegio, quo Hollandi, eodem, in gentem nostram invehere, & satis grande pretium mercis suae aerario publico quotannis exprimere solere, palam notum est. Ad illam multarum auri tonnarum aestimationem redimendam, si ad REGIS nostri augustissimi monitum, studium in commune cives conferrent, praecipue verò, qui magnarii mercatores salutantur, negotii non invitati confectores se praebere velent, in re uberrimâ sine crimine lucrari ipsi, & ex concessio exteri usu rei suae, illis sese supra nosmet effe-^{parent}rendi occasionem praeriperent. Πελάγιον & Θαλάσσιον veteres appellavere Mercurium, eundemque superi & inferi juxta coluere. Cur verò, qui apud superos hodie mercantur, apud nosmet non nisi pauciores eidem maritimae opulentiae custodi divaque litare velint, huc usque minus in comperto posita res est.

THES. XXXIII.

QVæ nostro littori ora est opposita; ante non multas aetates cultu informis erat, regionesque invalidas & scrupulosas passim ostentabat. Agros si quos

si quos habuere prisca inhabitatores, Romano more, per annos mutavere, & quod panem & cerevisiam attinet, eandem sanguine quam sudore parere maluerunt. Vastitatis pristinae in Vestfalia utrum hodie vestigia supersint aliqua, in praesentia non nostrum est repetere. Id palam quisque novit, quae melioris glebae fuerint, quemadmodum finitima regione, non contemere incultu, neque a feris bestiis amplius obsideri. Urbes munitae & tectis lapidibus structae passim visuntur, eademque agris ex fundo relictis seminibus compascuisque cinguntur, distinguuntur. Utinam bonis nostris uti nos neque nesciremus. Utinam quae amplitudine inculta passim *veterem Germaniam* hodieum refert *Fennigia* nostra, ad conditionem Germaniae hodiernam passibus non ambiguis, quantumlibet lentis, assurgere, & demum latifundiorum multitudine, fructuum varietate non quae genti modo sufficiant, sed ad externos quoque exportari queant, cum ipsa olim aequiparari possit!

LAUS
 REI RUSTICAE
 ET
 VITAE GENERI
 ISTI
 SACRATUM

Lip-

LIPSII VOTUM.

Ille est par superis DEIS
Et mortalibus altior,
Qui fati ambiguum diem
Non optat levis aut timet.

Quem non ambitio impotens
Non spes sollicitat lucri;
Quem non concutiunt metu
Regum praecipites minae;
Non telum implacidi Jovis;

Uno sed stabilis loco,
Vulgi ridet inania.

Cui securo oritur dies
Securo cadit & dies.

Vitam si liceat mihi
Formare arbitrii meis:

Non fasces cupiam aut opes;
Non clarus niveis equis
Captiva agmina traxerim.

IN SOLIS HABITEM LO-
CIS

HORTOS POSSIDEAM ATq;
AGROS;

ILLIC AD STREPITUS A-
QVÆ

MUSARUM STUDIIS FRUAR.

Sic cum fata mihi ultima
Pernèrit Lachesis mea,

Nos ulli gravis aut malus.
Qualis Langius hic meus
Tranquillus moriar senex.

